



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Titvlvs XXI. De Bigamis Non Ordinandis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](#)

# TITVLVS XXI.

## DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

### CAPITVLVM I.

#### Vt bigami.

##### S Y M M A R I V M .

1. *Bigami sunt irregulares.*
2. *Item qui publicam pœnitentiam ob crimene gerunt.*
3. *Et qui ab altero viro repudiatam vxorem duxit.*



**V**i bigami sunt, seu alteram vxorem duxerunt ac cognoverunt, & qui pœnitentes sunt, seu publicam pœnitentiam egerunt, & qui ab altero viro repudiatam vxorem duxerunt, irregulares censendi sunt. Consentit c. ex pœnitentibus, 55. d. 50.

De bigamis non ordinandis habetur in c. 2. & seqq. d. 26. in c. præcipimus, & seqq. d. 34. & dixi copiosè lib. 1. tr. 5. p. 5. cap. 6.

2 De ijs, qui publicam seu solemnem pœnitentiam ob crimen egerunt, non ordinandis habetur in cit. c. pœnitentibus, & docui lib. 5. tr. 6. c. 7. n. 6.

3 Denique de vxore ab altero viro repudiata, seu relieta, quod qui eam duxerit & cognoverit, Clericus fieri non possit, habetur etiam in c. si quis viduam, 8. d. 50. Potest autem id duobus modis intelligi: Primò, quod dimissa fuerit, quia matrimonij vinculum non consistebat, propter impedimentum dirimens, tunc qui eam duxerit & cognoverit, interpretatiæ bigamus & irregularis est, sicuti qui aliam à quounque viro præter se cognitam, seu corruptam duxerit. Secundò, si repudiata ac dimissa sit per diuortium, non dissoluto vinculo substantiali, tunc qui eam, marito eius adhuc viuente, inualidè duxerit, & maritali affectu cognoverit, quasi biga-

mus censetur, & irregularis est, arg. c. nuper, hoc tit.

### CAPITVLUM II.

#### Super eo.

##### S Y M M A R I V M .

1. *Bigamus promotus ad sacros ordines, penitus est ab ijs amouendus; nec licet eo dispensare.*
2. *Potest tamen Papa dispensare in irregularitate bigamie; non solum tamen, nisi ex grauissima causa; licet faciliter dispenset ad minores ordines accipendos.*

**S**i bigamus ordinatus sit, ordinans potest, & officio ordinandi priuandus est: at verò ordinatus, si ad ordines sacros promotus fuit, penitus est amouendus: Neus enim cum bigamis contra Apostolum dispensare licet, vt vel ad ordines sacros promouri, vel promoti in ijs ministrare possint. Sed cum ordinatore, vt ordinandi potestatem recuperet, dispensare licet.

Loquitur hic Lucius de ordinibus sacris, de quibus Apostolus ad Timoth. cap. 1. Vi Episcopi, quo nomine etiam presbyteros comprehendit, atque Diaconi non creantur, nisi monogami, id est, qui præter unam vxorem, aliam non habuerint.

Difficulitas autem est, utrum Papa dispense possit in irregularitate bigamie. Aliqui Canonistæ negant, vt videre est in Gl. ver. dispensare, quia Lucius III. in hoc. cap. ait, quod contra Apostoli præceptum dispensare non licet. Sed affirmandum est cum Innoc. hic, Gl. in c. lector, 1. 8. d. 34. Anchorno in c. 1. de bigamis, in 6. S. Thom. Soto, & alijs in 4. d. 27. q. 3. a. 3. Quia Papa dispensare potest in omni iure Ecclesiastico, etiam ab Aposto-

lis constituto: cùm ipse in ligando & soluendo Apostolica auctoritate prædictus sit. Ad textum resp. cum Suarez de censur. disp. 49. sect. 6. n. 6. Non dici in hoc c. quod non possit dispensari cum bigamo; sed quod non licet dispensare contra Apostolicam & in tota Ecclesia receptam traditionem: quandoquidem etiam ad supremum Ecclesiæ Pastorem pertinet optimè constitutos Ecclesiæ canones custodire, ac propagare. Quæ ratio ostendit, quod Summus Pontifex non soleat absque grauissima causa dispensare cum bigamis, præsertim veris, & propriè dictis. Sed neque dispensare facile solet: vt qui viduam vxorem duxit, ad ordines sacros (inter quos etiam Subdiaconatus numeratur) promovetur, vt constat ex c. nisi, 10. §. Personæ, de renunt.

Sed ad minores ordines accipiendos Papa faciliter dispensat: Imò aliqui, inter quos S. Thom. l. cit. hanè facultatē etiam Episcopis concedunt, arg. cit. c. lector, ex quo tamen parum probari potest: cùm non sit Martini Papæ (vt Gratianus scriptis) sed Bracharen sis Archiepiscopi. Id tamen ex eo textū colligitur, suisse aliquarum Ecclesiastarum consuetudinem, vt Clerici, qui viduam uxorem duxerant, in clero permitterentur; imò postulata necessitate etiam ad Subdiaconatum, non vterius, promoverentur. Sed hæc hodierno iure permissa non sunt, vt colligitur ex c. vn. eod. tit. in 6. vbi id notat Anchoranus in fine. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 5. p. 6. c. 6. num. 7.

## CAPITVLVM III.

## De bigamis.

Presbyteri, qui verè bigami sunt, aut qui viduas uxores habuerunt, neque viuenib; vxoribus; neque defunctis ad celebrationem admitti debent cùm perperam ordinatione fuerint, contra Apostoli doctrinam, & Ecclesiæ consuetudinem.

QVÆRES: Vbi Apostolus prohibeat, ne quis viduam uxorem habuit, presbyter ordinetur. Respondeo, Extare de hac re can-

18. Apostolicum à Gratiano relatum, c. si quis viduam, 15. d. 55.

## CAPITVLVM IV.

## Nuper.

## SUMMARIUM.

1. *Qui promotus ad sacros ordines, mortua vxore, aliam de facto duxit & cognoscit, bigamia pœnam incurrit (licet verè bigamus non sit) & contrahit irregulariter indispensabilem.*
2. *Et hæc pœna extenditur etiam ad laicos, qui inualidè secundas nuptias contrahunt.*

**A** It in hoc c. Innocent. III. dubiam quæstionem esse; Vtrum Clericus in sacris constitutus, qui antè uxorem virginem haberat, si èa mortuā aliam ducat de facto, non de iure (quia irritum est matrimonium) bigamus censeri debeat. Pro parte quæst. affirmante est, quod in talibus matrimonijs non ad iuris effectum, sed potius ad prauam intentionem cum opere subsecuto attendi solet: Nam ideo secundum leges infamia notatur, qui duas simul uxores habet, l. quid ergo, ff. de his qui notantur infamia. Et presbyter punitur, qui nuptias non legitimas contraxit, c. presbyterum, d. 28. Ex altera vero parte obstare videtur, quod veritas præferenda sit opinioni, seu iuris præsumptioni: alioquin bigamus censeri deberet, qui nullam uxorem validè duxit, vt si quis de facto, non de iure contraheret cum duabus, v. g. consanguineis suis. His disputatis, amplectitur Innoc. partem q. affirmatiuam, videlicet Clericos in sacris, qui post primam uxorem defunctam, aliam inualidè duxerunt, & cognoverunt, licet re ipsa bigami non sint, tamen quasi bigamos habendos, ideoque ad ordines indispensabiles censendos esse, idque propter effectum intentionis, cum opere subsecuto, id est, quia, quantum in ipsis erat, voluntariè matrimonium alterum contraxerunt & consummarunt.

Quæ-

**Quæres:** Quanam ratione, aut fundamento hæc responsio Innoc. nitatur? Resp. Eam nisi praxi ecclesiastica, secundum quam clerici in sacris, si nuptias secundas priore muliere mortua, aut viuente, inualidè contrahant, irregulares iudicantur, tanquam bigami sint, & indispensabiles, iuxta ea quæ c. 2. dicta sunt. Et àque interpretatio in odium Clericorum ita contrahentium facta est, id-eoque ad alios cum vxore altera, vel ytraq; inualidè contrahentes, spectato iure canonico scripto, extendenda non videtur: *Quia non praefas impidimentum, quod de iure non sortitur effectum, reg. 52. in 6.* Nihilominus propter auctoritatem DD. hanc responsionem Innoc. generatim intelligentium de omnibus etiam laicis, si inualidè contrahant nuptias secundas, quod irregularitatem quasi cuiusdam bigamiæ indispensabilem contrahant, in praxi sequendam esse, docuit lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 6. n. 5. Ed quod gensuræ & irregularitates, etiam sine scripto iure, per vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem daturam introduci possint.

## CAPITVLVM V.

## Debitum.

**D**plex est matrimonium. Vnum ratum, quod mutuo contrahentium consensu constituitur, & significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per charitatis unionem, iuxta Apost. 1. ad Corinth. 6. *Qui adharet Domino, unus spiritus est.* Alterum est matrimonium carnis copula consummatum, quod significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, de qua S. Ioan. c. 1. scripsit: *Verbum Caro factum est.* De eodemque Apostolus ad Ephes. 5. scribens ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Hocposito sciendum est: Cum dicitur, bigamos atque irregulares esse eos, qui cum duabus yxoribus, vel cum vidua matrimonium contraxerunt, ita semper intelligentum esse, dummodo matrimonium consummatum fuerit. Quare si aliquis duas vxores duxerit,

sed alteram earum, priorem aut posteriorum carnaliter non cognoverit, bigamus non est. Idemque iudicium est de eo, qui viduam duxit & cognovit, quæ à priore marito cognita non est, sed virgo permanxit. Ratio est: *Quia bigamiæ irregularitas oritur ex defecitu Sacramenti, id est, quod matrimonium bigami non perfectam, sed quodammodo deficientem gerat similitudinem Verbi incarnati.* Nam Filius Dei copulavit sibi Ecclesiam vnam, ab alio non assumptam. Ergo illi tantum bigami & irregulares censendi sunt, qui duas vxores cognoverunt, sive ut Innoc. loquitur, qui carnem suam in duas vxores diuiserunt, vel qui vnam vxorem cognoverunt, quæ tamen ab alio viro cognita fuit, seu quæ carnem suam in plures maritos diuisit. Vide quæ dixi cit. c. 6.

**NOTANDVM Vn.** *Quicunque duas uxores successivè duxit & cognovit; & quicumque ab alio marito cognitam duxit & cognovit, bigamus est, & irregularis.* Idemque & de eo sentiendum, qui mulierem extramatrimonium corruptam duxit, & cognovit.

## CAPITVLUM VI.

## Quia.

## SYMMARIUM.

1. *Qui plures concubinas habent, non sunt bigami.*
2. *Sacerdotes concubinarij olim erant ipso iure suspensi.*

**P**resbyteri, qui plures concubinas habent, non sunt bigami censendi. Quare Episcopus cum talibus perinde ac cum alijs Sacerdotibus fornicarijs, quoad sacerdotalis officij executionem, dispensare potest.

**NOTANDVM Vn.** Sacerdotes concubinarij olim erant ipso iure suspensi, ut etiam post actam pœnitentiam celebrare non possent, priusquam Episcopus cum ipsis dispensaret. Ita colligitur ex hoc c. contra Gl. c. si qui sunt, 15. d. 81. *Quid autem, spectato hodierno iure, sentiendum sit;* dixi lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 11. & lib. 5. tr. 9. c. 12. n. 10. CA.

## CAPITVLVM VLT.

A nobis.

## PARAPHRASIS,

Subdiaconus, qui de facto tantum (cum de jure non posset) viduam in uxorem duxit, licet vere bigamus non sit (cum matrimonium validum non fuerit) tamen quasi cuiusdam bigamiae (quam interpretationem vocant) indispenbarem irregulatatem contraxisse censendus est: Non propter defectum Sacramenti (cum nullum hic matrimonij Sacramentum fuerit) sed propter prauam matrimonij contrahendi intentionem, cum opere subsecuto,

## S V M M A R I V M .

1. Clericus in sacris constitutus viduam in uxorem inuidit ducens, & cognoscens, perinde irregularis est censendus, ac si vere bigamus esset.
2. Si autem Virginem ducat, bigamus non censetur, irregularitatem tamen contrahit, licet dispensabilem ab Episcopo,

**N**O T A N D V M Vn. Si Clericus in sacris constitutus viduam in uxorem inuidit ducat, & cognoscat, irregularis censeri debet, perinde ac si bigamus sit,

Sed quid? Si Clericus in sacris, vel Religiosus virginem ducat? Respondeo: Talem bigamum non censeri; nihilominus irregulari-

tarstatem, quamvis dispensabilem ab Episcopo contrahere, vt habetur c. sanè, 4. de clericis coniugatis, & dicitur. c. 6. num. 6. §.

CAPITVLUM VNICVM  
cod. Tit. in 6.

## Altercationis.

## S V M M A R I V M .

Bigamus priuatus est omni priuilegio clericorum, & est subiectus foro seculari, prohibetur etiam ei sub excommunicacione, ne habitum & tonsuram more clericorum deferat.

**D**ubitatum olim fuit, vtrum Clerici (intellige de ijs, qui in minoribus constituti sunt) si alteram uxorem ducant, vel viduam, aut corruptam, clericalibus priuilegijs gaudere possint? Aliqui enim affirmabant, (adentes Episcopum cum talibus dispensare posse, vt supra dixi c. 2.) Sed contrarium hic definit Gregor. X. in Concil. Lugdun. Eiusmodi bigamos omni priuilegio clericorum priuatos esse, & iurisdictioni fori secularis subiectos, quauis consuet: ne non obstante. Eisdem quoque sub excommunicationis inferendae pena prohibetur, ne habitum & tonsuram clericorum more deferant. Idem quoque decretum olim fuerat à Siricio Papa in c. quisquis, d. 84. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 3.

T I T V L V S XXII.  
DE CLERICIS PEREGRINIS.

## CAPITVLUM I.

Tua.

## S V M M A R I V M .

1. Iure antiquo clericis transmarini, & alij peregrini non erant suscipiendi, nisi quinque Episcoporum chirographis fa-

dem faciant de sua ordinatione.

2. Nono iure Trident. sine commendatitie suis Ordinarij literis a nullo Episcopo ad diuinam celebranda, & Sacraenta administranda admitti debent.
3. Quomodo differant literæ dimissoriae, testimoniales, commendatitiae, & formatae.

Bbbb

4. Cle